

sententiam, quæ rationibus certioribus nititur.

Hæc habui, præstantissime Dudithi, quæ ad chartas à te mihi missas pro Aristotele subito ferè, cogitatè tamen, responderem D. Marcello. Quæ si probabuntur, gaudebo, si non probabuntur, summa animi alacritate melioribus cedam, & ijs, à quibus rectius institutus fuero, gratias immortales publicè priuatimq; habebo. Si ocij plusculum habuissem, etiam Senecæ argumenta, quæ explicata non sunt, examinauissem. Sed quia nec ocium est, & quæ restant à quouis ex illis, quæ diximus, refutari possunt, finem hîc faciam.

Dat. Id. Maij. anno Domini 79.